

Item vitiosum est, quod dicitur contra iudicis voluntatem, aut eorum, qui audiunt, si aut partes, quibus illi student, aut homines, quos illi caros habent, laedantur, aut aliquo hujus modi vitio laedatur auditoris voluntas.

Item vitiosum est, non omnes res confirmare, quas pollicitus sis in expositione.

Item verendum est, ne de alia re dicatur, quum alia de re controversia sit, inque hujusmodi vitio considerandum est, ne aut ad rem addatur quid, aut quippiam de re detrahatur; aut tota causa mutata in aliam causam derivetur: uti apud Pacuvium Zethus cum Amphione, quorum controversia quum de musica inducta sit, disputatio in sapientiae rationem et virtutis utilitatem consummatur.

Item considerandum est, ne aliud accusatoris criminatio contineat, aliud defensoris ratio purget; quod saepe consulto multi ab reo faciunt, angustiis causae coacti: uti, si quis, quum accusetur, ambitu magistratum petiisse, ab imperatoribus saepenumero se apud exercitum donatum esse dicat. Hoc si diligenter in adversariorum ratione observaverimus, saepe deprehendemus, eos, de re quid dicant, non habere.

Item vitiosum est, artem aut scientiam, aut studium quodpiam vituperare propter eorum vitia, qui in eo studio sunt: veluti, qui rhetoricam vituperat, propter alicujus oratoris vituperandam vitam.

Item vitiosum est, ex eo, quod perperam factum esse constat, putare ostendi, a quo homine factum sit, hoc modo: *Mortuum deformatum, tumore praeditum, decoloratum fuisse constat: ergo veneno necatus est.* Deinde, si sit usque in eo occupatus (ut multi faciunt): venenum datum, vitio non mediocri conflictetur. Non enim factumne sit, quaeritur, sed a quo factum sit.

Cap. XXVIII. Item vitiosum est, in comparandis rebus alteram rem efferre, de altera mentionem non facere, aut